



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qualiter religionis ingressu sponsalia dissoluantur. Pun 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Pontifex sic respondit spectata vulgi opinione existimantis vinculum sponsalium offendi, si ex mutuo consensu dissolvatur, non quia vere offenderetur, aliis non induceret similitudinem societatis, quae secundum omnes iure solo mutuo consensu dissolui potest. Aliis de quorum numero est Layman lib. 3. sum. tract. 10. cap. 2. num. 1. Textus Innocentium dixisse praedictam dissolutionem tolerandam esse eo casu quo mulier cupit sibi fidem servari: at sponsus ab illa abhorrens modis omnibus renuit, & procurat sibi remissionem fieri; quia tunc moneri debet; quod si non acquiescat, nec bonus exitus speretur toleranda est remissio, quae ex parte mulieris fit non mera voluntate, sed involuntario admixto, & non sine peccato ex parte viri quod toleratur, & permittitur, sed non approbatur. Sed displicet mihi haec explicatio, vt potere eneruans fundamentum, quo omnes Doctores mouentur asserere sponsalia mutuo consensu licite dissolui posse: omnes enim, ipsique Layman ex ipso textu id colligunt. At si praedicta explicatio vera esset, praedictus textus dissolutionem sponsalium ex mutuo consensu non probaret, nam consensum mulieris nullus est vt potere involuntario admixtus, ac proinde ex illo consensu non dissolvuntur, sed dissoluantur ex timore grauioris mali, & iniqui exitus. Ego vero existimo Pontificem asseruisse praedictos sponfos monendos esse, vt fidem seruent, quando nullam rationabilem causam habent resiliendi ab sponsalibus, quia est quadam leuitas & inconstancia, & obliquiorum occasio. Quod si noluerint, ne deterius contingat, eorum dissolutionem mutuo consensu factam tolerandam esse.

4. Addi vero praedictae doctrinae debet, etiam si iuramento sponsalia confirmata sint, possunt enim ex mutuo consensu dissolui, quia iuramentum, quod in fauorem alterius factum est tacitam imbibit conditionem, nisi alius remiserit. Quod adeo verum est, vt etiam si intuitu pietatis, & in honorem Dei iurauerit foemina pauperem ducere, illius remissione ab obligatione praedicta liber existat, quia necessarii tale iuramentum conditionem imbibit, si foeminae pauperi matrimonium gratum fuerit, vnde illa matrimonium respuente iuramenti materia cessat, & obligatio, vt bene aliis relatis docent Coninch. disp. 23. dub. 1. Sanch. lib. 1. disp. 52. d. n. 7. Basil. Ponce lib. 12. cap. 9. u. 2. Gutierr. de matr. cap. 24. num. 1.

5. Praedicta intelligenda sunt de sponsalibus puberum, nam de impuberum sponsalibus alia est dispositio, vt constat ex cap. de illis, et 1. c. d. nobis de despons. impuber. quippe impuberes sponsalia contrahentes resiliere non possunt, quousque pubertatem nacti sint, & merito: ne passim resiliant, & passim contrahant. Adueniente pubertate qui prius illam attigerit resiliere potest, neque opus habet expectare pubertatem alterius, cum solum ex eius dissensu post pubertatem permisso sponsalia dissolvantur. Quinimo statim ac pubertatem attigerit, reclamare debet: alioquin sponsalia firmavit, ac si post pubertatem illa contraxisset, vt bene aduertunt pluribus relatis Sanch. disp. 51. num. 14. Basil. Ponce cap. 9. num. 4. Gutierr. cap. 29. num. 3. & colligitur manifeste ex dicto cap. de illis, ibi: si cum ad annos pubertatis venerint, reclamauerint, separantur, separandi ergo non sunt, si non reclamauerint: ita tamen reclamare cessantur, si intra triduum, postquam agnouerint pubertatem attingisse, reclamauerint, argum. Textus in leg. fin. Cod. de errore aduocati: ibi in continenti & leg. fin. Cod. de iudiciis. ibi: illico autem id est intra triduum, & ibi Bald. & Felin. in capit. veniens et 2. numero 15. de Testibus. Mandos. de monitorijs, quest. 31. num. 8. Sanch. dicta disp. 51. num. 14. Gutierr. cap. 29. num. 3. Basil. Ponce dicto cap. 9. num. 4. & alij apud ipsos. Hic tamen dissensus, & reclamatio esto Thom. Sanch. num. 16. & Gutierr. num. 7. cessant pro foro conscientiae sufficere, si interius fiat, mihi contrarium placet; nam sicut ad contrahenda sponsalia non sufficit interior consensus, nisi exterius manifestetur: sic nec sufficere potest ad contrahenda dissoluenta dissensus interior nisi manifestetur exterius, vt notauit Basil. Ponce dicto capit. 9. numero 1. Manifestari autem expediat coram Episcopo, vel eius vicario, & ipsis deficientibus coram honestis personis iuxta Textum in capit. fin. de appellacionib. & tradit aliis relatis Sanch. lib. 1. disp. 51. numero 17. Gutierr. cap. 29. numero 7.

6. Quod si pubes cum impubere contraxerit, puberi non permittitur resiliere, sed expectare tenetur an impubes pubertatem nactus respuat, quod si non respuerit, firma persistet sponsalia, vt deciditur expressè dicto cap. 1. de desponsat. impuber. & ibi Glossa, & Doctores communiter apud Couarub. decret. 1. part. cap. 5. §. 1. num. 5. Sanch. disp. 51. num. 10. Gutierr. cap. 29. num. 8.

7. Cum vero parentes pro filiis impuberibus sponsalia contrahunt filiis non est datum resiliere quousque puberes sint, si sponsalia valida fuerint, secus si fuerint inualida, vt dixit Ioann. Andr. dicto cap. de illis num. 4. Anchar. ibi num. 4. & alij, quos sequitur Sanch. disp. 51. num. 12. Gutierr. cap. 29. numero 10. Neque his obstat Textus in capit. 1. de desponsat. impuber. iniquis. Potest pater filium nondum aduultum, cuius voluntas discerni non potest cui vult matrimonio

trudere; & postquam filius peruenerit ad perfectam aetatem omnino debet hoc adimplere; quia vt inquit ibi Glossa, & Pa-normir. debet filius eam voluntatem non ex necessitate, sed ex honestate adimplere, seu vt placet Canisio, ibi debet factum patris approbare, dum causam reclamandi iustam non habet. Et licet in hac parte non videatur Textus differentiam inter filium puberem, & impuberem constituere, cum vterque teneatur ex quadam decencia, & honestate patris voluntatem sequi, dum causam rationabilem non habet ab ea dissoluenti; pubes non tenetur aliam aetatem maioriorem expectare ad consensum praestandum, bene tamen impubes.

8. Sed quid dicendum si impuberes sponsalia iurauerint, poteruntne pubertatem adepti ab eis resiliere? Negant pluribus relatis Couarub. 4. decret. 1. part. cap. 5. §. 1. n. 3. & de pactis 1. part. §. 1. num. 3. Sanch. disp. 51. quest. 3. num. 23. & 24. Gutierr. cap. 29. num. 12. Mouentur ex cap. ex litteris 1. c. de sponsalibus, vt inquit Textus eos impuberes quia sponsalia contraxerunt, & iuramento confirmauerunt cogendos esse ad contrahendum matrimonium. Ergo signum est iuramentum vitium aetatis purgare, & contractum firmum, & irrevocabilem efficere. Subdunt tamen praedicti Doctores impuberem debere esse pubertati proximum; aliis eius iuramentum contractum non firmaret.

9. Caterum longè verius existimo impuberem sponsalia iurantem posse nacta pubertate ab sponsalibus resiliere, siue si iurata non essent. Ducor; quia iuramentum sequitur naturam actus, cui adhaeret, nisi a iure contrarium dispositum sit, at nullibi est dispositum, quòd iuramentum sponsalia firmet impuberem, nam praedictus Textus in capite ex litteris id non coniungit, illi enim impuberes, qui ibidem dicuntur cogendos sunt impuberes ita proximi pubertati, vt matrimonium de praesenti contrahere possent, quinimo sponsalia firma; ergo iuramentum illud non proprie confirmat sponsalia impuberum, sed puberum. Atque ita docent Antonin. cap. de illis d. 1. de desponsat. impuber. num. 5. & ibi Cardinal. n. 2. Henric. cap. 2. de sponsalibus num. 9. Paludan. num. 4. d. 1. 7. quest. 1. art. 2. cap. 10. num. 28. Basil. Ponce. lib. 12. de matr. cap. 9. num. 8. & probabilem reputat Sanch. dicta disp. 51. n. 21. quest. 3.

PUNCTVM XVIII.

Qualiter religionis ingressu sponsalia dissolvantur?

- 1 Non solum per professionem, sed per ingressum affirmant plures dissolui sponsalia ex parte vtriusque.
- 2 Alij negant ex parte alicuius sponsalia dirimi.
- 3 Verus est dissolui ex parte eius qui in saeculo remanet.
- 4 Negant plures sponsalia iuratis posse iurans em ingredi religionem.
- 5 Contrarium est omnino tenendum.
- 6 Explicatur Textus in cap. communium de sponsalibus.
- 7 Peccatis si contrahat matrimonium animo ingrediendi religionem, sponsalia animo non manifestata.
- 8 Deciditur questio, an adstrictus sponsalibus iuratis, si postmodum religionis votum emeritis possit matrimonium inire animo ingrediendi religionem ante consummationem.
- 9 Quid si votum emissum sit ante sponsalia, & foeminam desponsasti sub fide data de matrimonio contrahendo.

Certum est religionis ingressu, & professione sequenda dissolui sponsalia sicut & matrimonium ex Textu in c. 2. de conversione coniugatorum. Controversia autem inter Doctores, est. An per solum ingressum sponsalia dissolvantur? Affirmant dissolui tam ex parte manentis in saeculo, quam ex parte ingredientis religionem. Syluest. verb. sponsalia. q. 10. cap. 1. Sotus in 4. disp. 27. quest. 2. art. 5. Tolet. lib. 7. cap. 2. innumeratos referens Sanch. lib. 1. disp. 42. num. 2. Gutierr. cap. 2. §. num. 11. Mouentur primo, dissolui matrimonium ratum dissoluit ex dicto cap. 2. de conuers. coniugatorum. Ergo nouitius qui est iam ad professionem dissoluit sponsalia matrimonij inita. Secundo professione matrimonium dirimitur ob statum assumpti perfectionem, sed illam perfectionem aequaliter nouitius participat, si ergo participare potestatem dirimendi si non matrimonium saltem sponsalia. Tercio potest ingrediens religionem protestari se nolle sponsalibus renuocare, sed velle illis persistere casu quo religio non placeat. At non obstante ea protestatione sponsalia dissoluta censentur religionis ingressu. Ergo non ex renuocatione, & cessione facta ab ingreditore religionem dissoluitur. Deinde neque ex mutatione status hac dissolutio prouenit, siquidem vtroque religionem ingreditore hac mutatio cessaret. Efficitur ergo sola perfectione status assumpsit sponsalia dirimi, ac proinde ex parte vtriusque dissolui. Quarto votum religionis cessat per ingressum in religionem bona fide factum, ergo cessare debent sponsalia, cum minus vinculum sit, quam religionis votum.

2. Secunda sententia predicta opposita negat ex parte alicuius sponsalia irritum. Sic Cobarub. 4. decret. 1. part. 1. in princip. Anton. Cochus lib. 3. instit. maior. tit. 1. con. 57. Morinus de sponsalibus tit. 1. quod mod. sponsal. dissoluant. num. 6. Dand. in 4. d. 27. q. 2. art. 3. ibi Paludan. quest. 1. art. 3. casu 3. in 47. & ibi Caetan. quest. 3. Petr. de Ledema de matr. quest. 43. num. 2. & in summ. de sacram. matrim. cap. 3. fol. 45. & alij plures relati a Sanch. disp. 43. num. 2. Gutierr. de matr. cap. 23. num. 1. Ducuntur, quia nullus est textus qui hanc dissolutionem concedat, & ex natura rei non dissolvuntur, siquidem potest ingrediens religionem ad laicalem rediens sponsalia exequi.

3. Tertia sententia, quam vetiorem, & probabiliorē reputo distinguit inter eum qui manet in saeculo, & eum qui religionem ingreditur, asseritque dissolvi sponsalia ex parte eius qui in saeculo remanet; si firma verò manere ex parte religionem ingrediens, ut si postmodum egrediar possit à momento in saeculo compelli promissis stare, si supplementum Gabrielis num. 4. d. 27. quest. 2. art. 1. casu 6. Henriq. lib. 11. cap. 4. n. 3. Man. 1. d. sum. cap. 245. num. 1. Rebellus lib. 4. de matr. quest. 6. sect. 6. Basil. Ponce lib. 12. de matr. cap. 10. num. 3. Laymann. lib. 5. tract. 10. cap. 2. num. 2. Aegid. de Coninch. disp. 23. dub. 3. concl. 4. & alij. Et quidem non dissolvi ex parte ingrediens religionem videtur manifestum, siquidem ex natura rei non dissolvuntur, ut de se constat, cum possit à religione retrocedere, & sponsalia implere, ius autem possessionis nullum est hanc dissolutionem concedens; neque ex eo quod illam concedat professioni comparatione matrimonij, inferret concedere novitiam comparatione sponsalium, quia in his, quae à iure postivo pendunt, non est desumendum argumentum ex vno casu ad alium, maxime cum diversa ratio in eo sit, nam professio constituit statum perfectionis, quem deserere religiosis non potest; ac novitiam neque est status, neque est via summa ad statum; cum eam assumens possit pro libito deserere, ergo & retrocedens dignus non est religionis favore, sed potius expedit, ut ad saeculum redeat eisdem obligationibus strictius, quibus antea tenebatur. Quod verò ex parte manens in saeculo sponsalia dissolvantur hac consideratione connoto: negari namque non potest ex praedicta ingressu notabiliter res mutari, quippe manens in saeculo obligatus est expectare totam novitiam tempus, quod est graue onus, ipse verò ingrediens non est aequè aptus ad nuptias post habitum perfectionis, ac erat ante ingressum, desert enim saeculum quandam notam leuitatis, & inconstantiae ob habitum desertum. At sponsalia obligatio, & matrimonij contrahendi promissio tacitam imbibit conditionem, ne notabilis contingat mutatio, neque sponsus deterior fiat. Vnde siue antea vero siue sicto religionem ingrediens, siue cedat obligationi siue non, praestat sufficientem causam manens in saeculo sponsalia dissolventi ob praedictam ineptitudinem ad matrimonium, quam ex ingressu religionis contrahit. Arguenda prima sententia nullam habent difficultatem, & ex probatione nostrae sententiae dissolvuntur, ut consideranti facile esse potest.

4. Sed quid dicendum, si iuramento sponsalia firmata sint, poenitente iurans sponsa defera religionem ingredi? Negant Rebellus lib. 4. de matr. quest. 8. sect. 6. concl. 2. Richard. Nauarr. Ledesma. Mayol. Angles. Vega relati à Sanch. & Gutierr. locis referendis. Mouentur ex cap. commissum 16. de sponsalibus, ubi cum quidam sub iuramento fidem foeminae dedisset de matrimonio contrahendo, velletque religionem intrare, conuictus Alexander III. quid faciendum esset; respondit nullius esse religionem iuramenti seruata postea si elegerit ad religionem migrare. Deinde iuramentum seruandum est, quoties non regit in dispensationem salutis aeternae, cap. de viros de iuramentis, ac hoc iuramentum seruari potest, quia ex eius obseruatione status religionis impediatur, cum possit matrimonio contracto ante consummationem religionem ingredi: Ergo sic.

5. Ceterum omnino tenendum est per se nullam esse tibi obligationem matrimonij, sed posse illo non contracto ad religionem migrare. Sic ex communi sententia Henriq. lib. 11. cap. 13. num. 3. & cap. 14. num. 3. Cobarub. decret. 1. part. cap. 3. in princip. numero 11. Sanch. lib. 5. disp. 43. d. num. 4. Gutierr. cap. 23. de matr. numero 2. Aegid. de Coninch. disp. 23. dub. 4. Basil. Ponce lib. 12. capite 10. d. num. 9. & alij plures apud ipsos. Ratio praecipua est, quia iuramentum sequitur naturam actus, cui adhaeret, cap. quemadmodum de iuramento, leg. fin. Cod. de non numerat. pecun. At natura promissionis matrimonij, cui iuramentum adhaeret imbibit conditionem nisi promittens velit religionem ingredi, quae conditio cum non insit sponsalibus ex iure postiuo, sed ex naturalitate, ad diuino privilegio nequit ab Ecclesia ab sponsalibus iuramentis excludi; siquidem sponsalia iurata exequi non est ita periculum, ac est religionis status, alias ex matrimonio rato iurato non esset licitus transitus ad religionem, quod non est dicendum.

Ferd. de Castro, Sum. Mor. Part. 7.

Limitant tamen hanc sententiam Henriq. Sanch & Gutierr. ne procedat, quando alteri ex contrahentibus interesset, ut matrimonium prius contraheretur, eo quod contracto honoris foeminae consuleretur, & proles ex ea nata legitimitur. Sed haec obligatio non ex iuramento, sed ex damni reparatione promouetur.

6. Ad textum in cap. commissum respondent optimè Cobarub. Sanch. Gutierr. Basil. Aegid. loc. alleg. praedictum sponsalia nondum de religionis ingressu firmiter deliberasse, ut colligitur ex illis verbis textus, & postea si elegerit, quasi nondum elegerit, infra seque tempus iuramenti exequendi, ne igitur protrahendo matrimonium sub religionis tepido desiderio, periculo exponeretur violandi iuramentum, dixit Pontifex tutius esse prius contrahere, & postea si velit ad religionem transire, quod non dixisset, si videret sponsulum firmo animo velle religionem ingredi. Vel secundo responde in praedicto casu forte esse aliquam causam, quae obligaret matrimonium prius contrahere nempe ob sponsae honorem, & proles legitimatioem, & tunc sponsa monita de voluntate religionis matrimonium contrahendum est. Neque obstat dixisse Pontificem tutius esse, quia saepe comparatum pro positio sumitur. Ad rationem respondeo illud verum esse, nisi iuramentum haberet conditionem, nisi religionem elegerit, nam hac electione posita iuramentum impleretur. Praeterquam quod ipso matrimonij contractu status religionis aliquatenus impeditur, non enim ductam vxorem ita facile est relinquere, & religionem ingredi.

7. An verò e contra possit matrimonium inire animo ingrediendi religionem ante consummationem? difficultate non caret; eo quod vtrius iure tibi concessio; neque enim censendum est iniuriam puellae irrogare sic contrahendo, cum ipsi etiam bimestre concedatur ad deliberandum de religionis ingressu alias neque Pontifex diceret in dicto cap. commissum tutius esse contrahere, si contractus illicitus esset. Arque ita tradunt Anton. Abbas, Alexand. Praeposit. & alij relati à Sanch. disp. 43. num. 2. & 11. Sed longè verior est sententia, quam sequitur ipse Sanch. num. 12. & Gutierr. cap. 23. num. 5. nempe te peccatum contra charitatem, seu misericordiam, si eo animo contrahas sponsam non manifestato, quia praesumitur sponsam non consenturam contractui, si eum animo sciret, tum ob suspicionem notae, quam incurrit se esse ob aliquod vitium à te desertam, tum quia cogis illam esse absque nuptiis, quousque profiteris vel te religionem deserente esse vxorem monachi cum non leui dedecore. Vnde non peccas, quia contrahis matrimonium eo animo; sed quia eum animum non manifestas, quem manifestare ex charitate debebas, nisi forte ex eius manifestatione, aliquid tibi damnnum immineret, ob cuius causam excuseris. Et per haec satisfactum est rationi pro contraria sententia adductae.

8. Ex his deciditur questio non leuiter inter Doctores controversa, an sponsalia contrahens, & iurans si postmodum te religionis voto adstringas, possis matrimonium inire animo ingrediendi religionem ante consummationem? Et licet plures Doctores quos refert Sanch. disp. 43. num. 6. affirmatiuam partem defendant, verior, & probabilior est negatiua, quam ipse Sanch. num. 7. pluribus aliis relatis firmat, & Gutierr. cap. 23. num. 4. eo quod si contrahens manifestissimum periculo te exponas non exequendi votum, cui periculo te obistere illicitum est, nisi aliqua causa graui excuseris, qualis esset si alia via non tibi pateat aditus securus religionem ingrediendi, vel honori foeminae, aut proliis bono consilium non possit.

9. Grauior dubitatio est, si prius religionis, vel castritatis votum emiseris: & postmodum honestam foeminam sub fide data de matrimonio contrahendo defloraueris, an possis foeminam ducere omisso voto? Negant Nauarr. lib. 4. consil. tit. de sponsalibus. cons. 21. alias consil. 1. tit. Qui clerici, vel videntes. Rodrig. summ. 1. tit. cap. 208. numero 11. Candelabrum aureum 1. parte de sacram. capite 14. numero 65. Ducuntur, quia posterior promissio inique facta est, & contra ius Deo quaesitum, nequit ergo pioiorem promissionem infirmare.

Sed oppositum verius cenleo cum Sanch. disput. 45. num. 31. & seq. Gutierr. de matr. cap. 25. num. 7. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 4. Coninch. disput. 23. dub. 3. concl. 6. Chapdauilla cap. vlt. sui tract. quest. 17. Vazq. de vestitus. cap. 3. in fine. Laymann. lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 2. n. 4. alijque viris doctissimis non solum te posse, sed & teneri ducere praedictam foeminam non ob promissionem praecise, sed ob traditionem sui corporis tibi bona fide factam sub conditione, & pacto matrimonij futuri, & sub illius spe; aequitas namque naturalis non patitur, ut cum tanto damno proximi in Deum liberaliter existas. Si enim equum Titio liberaliter promissum postea Sempronio ex contractu oneroso obligasses, cui contractui nullatenus satisfacere posses, nisi equum tradendo sine dubio obligatus esses equum Sempronio tradere. Argument. legis ignor. Cod. de reuocand. donation. quia non expedit eam vnus

factura, & damno alteri te liberalem ostendere. Adde ob matrimonium non extingui religionis votum, sed suspendi. Huius autem suspensio, & dilatio ex causa rationabili fieri potest. Si enim ob necessitatem parentum superuenientem, ob debita pecuniaria soluenda saepe fit, à fortiori videtur fieri posse ob honorem puella deceptæ seruandum. Notanter dixi *bona fide*, nam si puella sciens votum religionis suum tibi corpus tradidisset sub promissione matrimonij, nequaquam illam ducere poteris, sed obligatus eris ea relicta religionem ingredi, utpote quæ particeps fuit tuæ promissionis iaque; ex qua nullum potuit ius acquirere, sicuti tanquam certum prædicti Doctores tuiant.

PUNCTVM XIX.

Qualiter Ordinis sacri susceptione sponsalia dirimantur?

- 1 Plures consent dirimi.
- 2 Verius est illicitè sacros Ordines suscipi renuente sponsa.

1. **N**on est dubium Ordinis sacri susceptione sponsalia dirimi, quia assumis statum, quo te matrimonio contrahendo inhabilem reddis. Controversia autem est an eum statum licitè suscipere, possis, sicuti potes assumere statum religiosum? Affirmat Sotus in 4. d. 27. quest. 1. art. 5. Nauar. capit. 22. num. 25. Gutier. cap. 26. num. 2. Basil. Ponce, lib. 12. cap. 11. num. 3. Henricq. lib. 11. cap. 14. indicat Laymann. lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 2. num. 7. & alij plures. Mouentur, quia in sponsalibus tacitè videtur inesse ea conditio, nisi statum perfectionem matrimonio elegeris. Ergo illius status electione nullam promissaria iniuriam irrogas matrimonio non contrahendo, utpote qui non promissit matrimonium casu quo velles statum perfectionem eligere.

2. Ceterum sponsalibus obstrictum illicitè ad sacros Ordines renuente sponsa ascendere docet vt probabilis Sanch. alijs relatis disp. 47. Egid. de Coninch. disp. 23. dub. 3. num. 25. Rebell. lib. 4. de matrim. quest. 9. sect. 5. Ratio est, quia nec iure diuino, nec naturali, nec positio concessum est ordini sacro sponsalia dirimere, sicut concessum est religioso statum religiosum sicut religiosus status dirimit matrimonium ratum, susceptione Ordinis sacri illud dirimeret contra *extrinsecus. Antiquæ de voto*. Sed sponsalia per Ordinem sacrum dirimuntur, quia te matrimonio contrahendo inhabilem præstitisti, sicuti dirimerentur matrimonio cum alia contracto. Nequis ergo sponsalibus relicto Ordinem sacrum assumere, sicut nequis matrimonium cum alia celebrare. Et confirmo. Idè in sponsalibus conditio status religiosi subintelligitur excepta, quia vel iure diuino, vel saltem Ecclesiastico sponsalia dirimit ob eius perfectionem, at cum ordo clericaliis, nec iure diuino, nec positio sponsalia dirimat, non est censenda ea conditio excepta. Quod enim status clericaliis præstantior sit quam coniugium, non inde inferri potest in promissione coniugij statum clericalem excipi: alias omnia iuramenta in fauorem hominis præstita posses non exequi affirmans imbibit in illis conditionem, nisi perfectus quid elegeris, quod falsissimum est, vt latius diximus tract. de iuram. Addi potest in huius partis confirmationem praxis recepta, quæ de iniuriando factis inquiritur, an fidem alicui de matrimonio contrahendo, quæ tamen inquisitio pro religionis ingressu non fit. Signum ergo est sponsalibus contractis neminem posse licitè ad sacros Ordines promoueri renuente sponsa, bene tamen religiosum statum assumere.

PUNCTVM XX.

Qualiter voto religionis, Ordinisue sacri suscipiendi, vel continentie dissoluantur sponsalia?

- 1 Si aliquod ex his votis omittas sufficientem præbes causam sponsa dirimendi sponsalia.
- 2 Prædictis votis dirimuntur sponsalia aequè ac dirimuntur habitus religiosi susceptione.
- 3 Illicitè, & inualidè sit votum de Ordine sacro assumendo, est plures contrarium censent.
- 4 Votum religionis suscipienda licitum est, & sponsalia dissoluit.
- 5 Votum continentie sponsalia dissoluere docent plures.
- 6 Verius est oppositum.
- 7 Satis sit fundam. opposit.
- 8 Adstrictus ante, vel post sponsalia castitatis voto tenetur ingredi religionem ex plurium sententia.
- 9 Verius est oppositum.
- 10 Adstrictus voto castitatis post sponsalia obligatus est ea implere.

1. **E**T quidem si aliquod ex prædictis votis sponsalia præcedit, manifestum est apud omnes ea irrita reddere,

etiam iuramento firmentur, vt deciditur cap. *Rufus, qui clericus vel uouens*, quippè promitterent rem illicitam. Controversia igitur est de voto sponsalia subsequente, an ea dissoluit possit? Quia in re illud est certum, si uoues sacrum Ordinem, religionem, vel continentiam, eo ipso sponsa præstita sufficientem causam, vt ab sponsalibus refuliat, quia tacitè iuramento renunciatis, vt aduertit Sanch. disp. 46. num. 5. & disp. 47. num. 4.

2. Secundo est certum voto religionis, vel sacri Ordinis suscipiendi dirimi non posse sponsalia efficacius quam dirimuntur habitus religiosi assumptione ante professionem, vt bene aduertit Basil. Ponce. lib. 12. de sponsalibus, cap. 12. num. 2. His positis:

3. Dico primo, Doctores qui censent ordine sacro ob illius perfectionem sponsalia dissolui, licitèque assumi, consequenter affirmant votum suscipiendi ordinem sacrum validum, & licitum esse, & aequè sponsalia dissoluit, ac dirimit votum religionis suscipiendæ. At cum nos tanquam probabilis iudicauerimus illicitè post sponsalia ordinem assumi, consequenter affirmamus illicitè, & inualidè de illo assumendo votum fieri, sicuti pluribus relatis tradit Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 47. n. 3. Coninch. disp. 23. dub. 3. n. 25.

4. Dico secundo, Votum religionis suscipiendæ licitum est, & sponsalia præcedentia dirimit, vt ex communi sententia docent Henricq. lib. 11. de matrim. cap. 14. num. 4. Sanch. lib. 2. disp. 46. numer. 2. Layman. lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 2. num. 4. Gutier. de matrim. cap. 26. num. 3. Basil. Ponce lib. 12. de matrim. cap. 12. num. 2. & alij apud ipsos. Etenim cum huiusmodi ingressus licitus sit, & a iure permittitur, licitum tibi erit illum uouere. At cum eo voto ante professionem statum non constitutus credo ex parte tua sponsalia non dissoluit, quouque professionem emittas. Quare si ab eo voto liber esses, eo quod in nullam religionem admittaris, vel admittis cum perseuerantibus sponsalibus adimplendis obligatus es sponsa id uolens, quia nullibi cautum est prædicto voto, sicuti nec habitus religiosi susceptione professione non secuta, sponsalia dissolui.

5. At si votum continentie emiseris ex vi illius integro sponsalia dissoluit docent pluribus relatis Gutier. de matrim. cap. 26. num. 1. Azor. 1. part. lib. 11. cap. 21. quest. 10. Suar. lib. 2. de voto cap. 3. num. 1. Gab. Nazari. opus de restruct. 3. §. 3. dub. 6. n. 17. Basil. Ponce lib. 12. de matrim. e. 12. num. 4. Henricq. lib. 11. cap. 14. num. 4. Ducuntur primò ex cap. *ueniens. Qui clericus, vel uouens*, ubi quædam mulier sponsalia contraxit cum alio obiente cuius scititia periticia ex consilio cuiusdam Eremitæ votum castitatis emisit. Quo emisso irad alias nuptias transiit ipsa uerò alteri nubere uolebat ob inconuenientiam periculum, consultus de hæc Alexand. III. respondit. Nos itaque attendentes tutius esse, vt præfata mulier post fidem, & votum simpliciter oblatum matrimonium contrahat, quam feminæ reatum incurrat, mandamus quatenus si plus non processit sibi de fide mentita, & voto uiolato satisfactioem iudicatis, & ei cui uult nubere in Domino licentiam concedere non postponas. Ex quo textu existimat Basil. Ponce, prædictam sententiam planè confirmari, siquidem prædictum votum validum fuit, aliàs dispensatione non indigeret. Et licet in prædicto textu iudicetur, sponsalia facto voto ualere, siquidem feminæ penitentiam imponitur, ob uiolatam fidem, id inquitur Basil. & Azor. processisse quoad forum externum in quod nondum de voto constabat; eo uerò probato dispensationem fuisse concessam. Secundo ex cap. *peruenit. De iurando*, ubi non censetur promissum infringere qui in melius commutat. Sed status continentie matrimonio præstat, ergo matrimonij promissionem non infringis in statum continentie commutans. Tertio in promissione matrimonij continentie statum, sicuti & statum religiosum ob illius perfectionem censeri excipere, atque adeo nolle obligare ad matrimonium casu quo statum continentie amplectaris. Tandem ubi duo vincula incompatibilia, & ualida concurrent, fortius præualeat, cap. *si inter de sponsalibus*. At vinculum religionis, & voti fortius est fidelitatis vinculo ex sponsalibus contracto. Ergo, &c.

6. Nihilominus etsi prædicta sententia probabilis sit, probabilior existimo prædicto voto continentie sponsalia non dissolui, vt pluribus relatis firmat Sanch. lib. 1. disp. 46. num. 9. Coninch. dub. 3. concl. 7. Laym. lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 2. num. 6. & colligitur ex dicto cap. *ueniens. Qui clericus, vel uouens*, ubi enim Pontifex penitentiam præcipit inuigilanti femina pro voto uiolato, id est pro uoluntate, quam habebat uiolandi votum alteri nubendo, sicuti inquit ibi Gloss. & pro fide sponsa mentita. Conteritur ergo Pontifici votum, & vi illius sponsalium uolatio; siquidem pro uirtuteque uolatione penitentiam iniungit. Ergo ex illo voto non censet Pontifex sponsalia dissolui; aliàs illo facto non esset fides sponsalium uiolata Neque inde fit votum inualidum esse, nam esto inualidum sit, quatenus continet obligationem non contrahendi matrimonium cum eo cui fidem dederat, at validum esse quatenus continet obligationem non petendi ab eo debitum